Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26934
Copyright: Admont, Benediktinerstift

sed de anteacte illius conversationis testimonio et sacrorum ordinum
susceptione seu promotione se ac prelatos scire debere affirmavit.
Quia ergo nemo aderat qui probis capitulis ei preberet testi
monium. archiepiscopus ipsum electum in virtute obedientie cepit con
testari ut simpliciter desumeret in sacris ordinibus promotionem palam
aperiret. Confessus est ergo se ab Hermanno constantiense episcopo sacer
dotum gradum suscepisse.

N. 51. Item domnus Rudolfus pie memorie abbas iam dicto festo. anno
dominice incarnationis M. C. XC. VIIII. quievit in domino. Pro quo domnus
Iohannes abbas biburgensis qui antea prioratum admuntensem per
multos annos tenuerat eligitur. et a domno Alberto archiepiscopo inves
titur. Item anno M. CC. domnus Albertus salzpurgensis archiepiscopus XXXVI.
archipresulatus sui anno post multa gravamina que passus est
a domno Friderico imperatore ob defensionem sancte ecclesie et post plurimas
infestationes iniquorum hominum contra eum et sanctam ecclesiam per iussu
et voluntate imperatoris sevientium tandem adiutorio dei eiusque nobili
providentia ac industria sopitis omnibus maioribus ac minoribus qui
adversus eum arma tulerant cum iam duicis et honoribus omnes
iuvavenses archiepiscopos transcendisset. VII. idus aprilis diem clausit
extremum in sede archiepiscopatus sui. ibique debita cum honestate se
pultus est. Erat autem sororius domni Chunradi II. archiepiscopi. cuius
mentio est in antecedentibus. Tunc communi electione cleri ac minis
terialium electus est domnus Eberhardus brixinensis episcopus in archiepiscopum
salzpurgensem. et in ecclesia kathedrali intronizatus.

N. 52. Anno dominice incarnationis M. CC. I. Terremotus magnus factus est per dimidiam
fere horam IIII. nonas maii ac deinceps frequenter. adeo